



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

9 De Sacramento matrimonij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

Ab illi. dicendum, quod non solum quis debet subire mortem antequam peccet mortaliter, sed et antequam peccet venialiter, quia peccatum in quantum peccatum, numquam est eligibile. Si enim esset eligibile, numquam esset peccatum, & sic non peccarem si facerem: & ideo per hoc non concluditur, quod id non sit participandum eis, quia est peccatum mortale, & qui hoc facit, peccat mortaliter: quia etiam si esset veniale, non esset participandum eis, & tamen non peccaret mortaliter participando.

Vel dicendum est, quod Decretalis illa intelligitur de illis, qui directe edicant excommunicatis.

QVÆSTIO IX.

CIRCA sacramentum matrimonii quæta sunt duo.
¶ Primo, De maleficiis.
¶ Secundo, De frigidis.

ARTICVLVS X.

Vtrum maleficia impediant matrimonium.

AD PRIMUM quæstum est, vtrum maleficia impediant matrimonium. & videtur quod non, quia opus Dei, est fortius quam diaboli: sed matrimonium est opus Dei, maleficium vero opus diaboli. ergo matrimonium est fortius maleficiis, non ergo impeditur per ipsum.

CONTRA. Maior est potestas demonis, quam hominis: sed hoc per matrimonium impeditur, ergo & demones.

RESPON. Dicendum, quod matrimonium est quasi quoddam pactum. Nam per matrimonium vnus tradit potestatem sui corporis alteri ad carnalem copulam. Constat autem quod pactum de impossibili nullum est, cum nullus possit se obligare ad impossibile: & ideo quando aliquis obligat se per matrimonium ad carnalem copulam, si hoc sit ei impossibile, matrimonium nullum est. Sed notandum est, quod impossibilitas carnalis copule ex aliquo impedimento pro veniens potest dupliciter considerari, quia vel illud impedimentum est superueniens matrimonio iam consummato, vel precedens. Si est superueniens, tunc matrimonium iam consummatum nunquam soluitur. Si vero impedimentum precedat, tunc matrimonium non dum consummatum soluitur. Item circa hoc sciendum, quod impedimenta huiusmodi vel sunt perpetua, vel ad tempus. Si sunt perpetua, tunc matrimonium illud simpliciter impeditur: si vero sunt temporalia, tunc matrimonium non impeditur simpliciter, sed ad tempus, ita tamen quod impedimentum in vtriusque precedat. De maleficiis autem sciendum est quod quidam dixerunt quod maleficium nihil est, & quod hoc proueniebat ex infidelitate: quia volebant quod demones nihil sunt, nisi imaginationes hominum, in quantum, scilicet homines imaginabantur eos, & ex ista imaginatione terribi debebant. Fides vero catholica vult quod demones sint aliquid & possint nocere suis operantibus, & impedire carnalem copulam, & id homini impedimenta si præcedat & sint perpetua, ut dictum est, simpliciter impediunt matrimonium.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod et diabolus est opus Dei, & non solum matrimonium, & inter opera Dei vnus est fortius alio, & vnus impedit per aliud magis forte. Vn cum diabolus sit fortior quam matrimonium, nihil prohibet per ipsum matrimonium impediri.

ARTICVLVS XI.

Vtrum frigiditas impediat matrimonium.

CIRCA secundum, quæstum est, vtrum frigiditas impediat matrimonium. Videtur quod non, quia

senes sunt frigidi, & tamen contrahunt matrimonium.

IN CONTRARIUM est, quia nullus obligat se ad impossibile: sed impossibile est frigidis carnaliter alicui copulari. ergo si ad hoc obligant se, pactum huiusmodi nullum erit.

RESPON. Dicendum, quod frigiditas eadem ratione impedit matrimonium, sicut maleficium, cum sit eadem impossibilitas in vtroque, quia tamen non differt frigidus & maleficiatus. Frigidus enim est impotens simpliciter quantum ad omnes, maleficiatus vero est quidem impotens, non tamen quo ad omnes, sed quo ad vnam tantum. Nam maleficium consistit in imaginatione viri respectu vnus mulieris, in quantum, scilicet operatione demonis fit illi abominatio alicuius mulieris, quia propter horrorem refugit & respuit, & ideo aliter impedit frigiditas, & aliter maleficium. Nam frigiditas impedit aliquem, ita quod oportet, quod remaneat absque omni spe contrahendi, si ab vna impediatur. Vnde si aliquando aliquis efficitur potens, oportet reintegrare primum matrimonium, unde frigiditas soluit contractum, & impedit contrahendum: maleficiatus vero impeditur quantum ad istam tantum, vnde datur ei licentia nubendi alteri, & mulieri similiter: vnde maleficium soluit contractum, sed non dirimit contrahendum, ut iam patet.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod senes sunt frigidi non quidem ad actum generationis, sed ad generationem prolis: & ideo cum possint carnaliter copulari non soluitur matrimonium. Frigiditas vero quæ oino carnaliter copula impedit, soluit matrimonium.

QVÆSTIO VI.

CIRCA conuersationem vero humane vite quæta sunt quedam per comparationem ad proximum: quedam vero per comparationem ad res quæ in vltimo hominum ueniunt. Per comparationem vero ad proximum, quæstum est de correctione fraterna, circa quam duo quæta sunt.

ARTICVLVS XII.

Vtrum debeat aliquis in publico, vel in privato corrigere proximum, vel fratrem suum.

PRIMO vtrum debeat aliquis in publico, vel in privato corrigere proximum, vel fratrem suum. Vnde, quod occulte. Matt. 18. Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. videtur ergo quod occulte sit corrigendus frater delinquens.

CONTRA I. Ad Timot. 5. Peccantem coram omnibus argue.

¶ Prat. Aliqua constitutiones hoc habent, ut scilicet publice corrigatur.

RESPON. Dicendum, quod homini correctio ex charitate debet præcedere, & inde est quod dicitur fraterna correctio: & ideo oportet ordinem fraterne correctionis sumere secundum ordinem charitatis. Ordo autem charitatis est, ut quis bono proximi præferat bonum commune. Item, ut velit bonum proximi, & conscientiam, & famam, & in his magis velit bonum conscientiam, quam vtrumque haberi non potest. Et ideo his consideratis, credo quod si esset aliquod peccatum carnale, seu spirituale, quod uergeret in detrimentum multitudinis, statim est reuelandum, cum præponderat bonum commune in ordine charitatis, ut dictum est, bono proximi siue sit fama, siue conscientiam. Quod vero non timetur multitudinis detrimentum, tunc debet quis vtrumque custodire, scilicet bonum fame, & conscientiam. Quodlibet. S. Tho. K scientiam,

4. d. 34. q. 4. ar. 3. o.

4. d. 34. q. 4. ar. 3. & d. 36. ar. 1. & dist. 39. q. ad 3.

1. p. q. 55. ar. 1. ad 1. ma. q. 3. ar. ad 1.